



**Quotidiana Christiani Militis Tessera**

**Stanyhurst, Guillaume**

**Coloniæ Agrippinæ, 1682**

2. Dies Junii. Unicuique sua cupiditas, tempestas est. S. August. serm. de  
verb. Dom.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-55659)

420      *Christiani Militis*      Junius  
inter hominem superiorem, & inferiorem acerrima  
pugna. Quapropter cum carne bellandum est, ut fu  
gias bellum: juxta Poëtam:  
*Si timeas bellum, facias cum carne duellum.*

## 2. DIES JUNII.

**Unicuique sua cupiditas, tempestas est**  
*S. August. serm. de verb. Dom.*

Cupiditas in ho-  
mine, idem est  
quod tempestas  
in æquore.

**C**upiditas in corde ho  
minis non modò mo  
vet bella, velur in cam  
po, sed & tempestate,  
velut in freto. Quod si libeat intueri statum animi, in  
quo bacchatur cupiditas, is mente sibi fingat dromo  
nem in pelago vela facientem, tum oboriri primus  
ventorum murmur, deinde increbescere, fluctus  
vortices attolli, & reciproco allis ad litora frang  
cœlum involvi tetricis nubibus, eripi diem opacis um  
bris, intermicare fulmina, mugire reboantium ton  
trorum fragores, omnia metu, & horrore comple  
ti. Interim decumani fluctus totâ aquarum mole  
navim incumbunt, paulatim compages solvuntur  
vela scinduntur, malus frangitur saevientibus Austris  
fit ventorum concursatio, & vociferatio, hebetatu  
animus, neque anchoræ locus est, nec clavo, quia  
navis gubernaculi impatiens hinc inde in diversis  
raptatur: furit tempestas, & naufragium minatur  
nihil obversatur omnium oculis, nisi plurima morn  
iago. In omnium vultu est pallor, in membris tre  
mor, in animo timor, in corde pavor, ubiq; immen  
sus horror.

II R

II. Revocemus mentem ab Oceano , & in hominem introeamus. Quid est hic mundus in quo degimus, nisi mare , in quo vela facimus ? Audi Sene-  
cam. (a) In hoc profundum, inquietumque projecti ma-  
re alternis aestibus reciprocum, & modo allevans nos su-  
bitis incrementis , modo majoribus damnis deserens , af-  
fidueque jactans, nunquam stabili consistimus loco : pen-  
demus, & fluctuamur ; alter in alterum illidimur , &  
aliquando naufragium facimus , semper timemus. In  
hoc tam procelloso , & in omnes casus exposito mari na-  
vigantibus, nullus portus, nisi mortis est. Adjiciat &  
suum calculum profano , etiam sacer auctor D. Am-  
brosius. Sic ipse: (b) Cursus hic noster in quodam  
salo mundi jactatur. Navigandum nobis est, & malo-  
rum tendulis vela insinuandasunt. Procella saevit, ven-  
tus consurgit, tempestas insanit. Si ita clavum tenacris,  
ut manus tuae retinenda non amittant, ad portum illibata-  
tis mercibus tendes: sin verò fluctibus adversis ikius sco-  
puli implicantibus, ac flatibus præpeditus, inter fretari-  
xantia, tumidi gurgitis naufragaveris , redeundum est  
ad saburram , &c. Quia porrò in oretrium testium,  
stat omne verbum, accipe h̄ic tertium D. Chrysololo-  
gum. (c) In hujus seculi mare tumens pompā , elatum  
vertice, undosum sectis, inscrita fluctuans, clamosum li-  
tibus, tremens rā , savum perfidiā , peccatis naufra-  
gum, impietate demersum, misit pescatores suos Chri-  
stus. Habes h̄ic mare, vide nunc in eo tempestates.

III. Idem qui paulò antè mare, etiam in eo ex-  
pressit tempestates D. Ambrosius. (d) Magnam  
faciunt tempestatem , multitudines cupiditatum : que

D d 3

veluti

(a) Consol. ad Polyb. c. 28. (b) De pœnit. c. 12. (c)  
Serm. 47. (d) Apidag. David. c. 5.

veluti in quodam freto corporis navigantem, hinc aq  
indè perturbant, ut gubernator sui animus esse non p  
fit, die ac nocte caliginem amoris ignorans. Idem ab  
(a) *Est quædam in tribulationibus interna peccatorum  
seva tempestas, quando sunt foris pugnae, intus timor.*  
*Est aqua contradictionis, quando veluti quodam ma  
timi salis æstu fluctuant nostræ cogitationes, nec ullæ  
profundamentum, definitionis stabilitate placidantur.*  
Accipe de eodem arguimento tertium, sed primi  
jusdemque authoris pronuntiatum. (b) *In spiritu  
corde turbantur, & ipsi sibi sunt propriæ exagitationes  
auctores, quando desideriorum suorum æstu volvuntur.  
& quodam salo fluctuant. Quàm concinnè hæc omnia  
conveniunt cum hodierna tessera? Qui sunt illi Ty  
phones impetuosissimè reflantes, quàm spirantes,  
immoderati affectus? Quænam tam ferox in freno  
procella, quàm in animo iracundia? Quænam  
corde speranda malitia, in quæ æstuat invidia? Pre  
vi affectus, ipsi sunt fluctus, ipsi turbines, & procel  
læ sunt. Illis sœvientibus, eripitur menti dies, con  
globantur in intellectu terræ nubes, ubique spissa &  
caligo, fiunt omnia confusæ, ac perturbatæ; summa  
levitas, impotentis animi inconstancia, &c, ut fieri lo  
let in tempestate, cœlestium mercium, bonorumque  
sequitur jactura. Quapropter quantum meruis nau  
fragium, tantum fugias sequi cupiditatis imperium.  
Quantum in te geris affectus, tantum tuis moderare  
affectibus. Ad illud te horror, exclamans cum Poeta,*

*Affectus generant luctus, in pectore fluctus.*

(a) In Ps. 45. (b) Lib. de Nab. c. 15.

3. DIES